



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio IX. In qua producebatur executio citationis contra Joannem papam
vigesimaliumtertium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

Super quibus lectura, publicatione, pronuntiatione & diffinitione siue condemnatione, dominus Ostiensis præfidentis, & dicti quatuor nationum quatuor præfidentes, interrogati, an placeret, responderunt omnes, & primo Ostiensis, deinde nationum præfidentes, quod placeret. Et approbauerunt omnia prædicta.

ANNO
CHRISTII
1449.

SESSIO IX.

In qua producebatur executio citationis contra Joannem papam vigesimumtertium:

DIE Lunæ decimatertia mensis Maii supradicta, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi supradicta, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. Cui sessioni interfuit serenissimus princeps Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex &c. cum suis nobilibus & insigniis regalibus. Et fuit cantata Missa de angelis, videlicet, *Benedicite omnes angeli*, &c. per reuerendum patrem dominum Robertum episcopum Saresbiriensem nationis Anglicanæ.

Præsentibus ibidem reuerendissimis dominis, Joanne episcopo Ostiensi cardinali, &c. Angelo Laudensi, Francisco Venetiarum, Alamanno Pisano, Iordano de Vrsinis, Branda Placentino, Guilielmo sancti Marci, Antonio de Salancho, presbyteris, Amadeo Salutiarum, Raynaldo de Branchastis, Ludonico de Flisco, Landulpho Barensi, Odone de Columna, Francisco Florentino, & Lucido de Comitibus, diaconis cardinalibus, absentibus Petro Cameracensi & Antonio Aquileiensi cardinalibus, licet in ciuitate Constantiensi præsentibus. Qua Missa cantata, fuit cantatum officium, Exaudi nos Domine, &c. cum litanis, orationibus & collectis, cum euangelio, Erunt signa in sole, &c. ac hymno, Veni creator Spiritus, more solito. Quibus finitis, surrexit venerabilis vir magister Benedictus Gentiani, monachus ordinis sancti Benedicti, ambasiator studii vniuersitatis Parisiensis; & proposuit qualiter venerabiles magistri vniuersitatis studii Parisiensis recommendarent se præsentì Concilio Constantiensi, mittendo sibi vnã literam, quam ibidem in medium produxit, cuius tenor sequitur inferius post lecturam aliorum, pro quibus sessio fuit deputata. Deinde surrexerunt honorabiles viri magistri Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis,

LUC. XI.

ANNO
CHRISTI
1415.

promotores & procuratores Concilii. Idem Henricus loquens, nos procuratores & promotores huius sacri Concilii dicimus & exponimus, citationem alias contra Ioannem papam vigesimumtertium decretam, una cum eius executione facta in publicis instrumentis, quorum tenores inferius sunt inserti. Et ulterius recitando, primo, qualiter ultimo dominus Ioannes papa vigesimus tertius, & eius receptatores, sequaces & fautores fuerunt citati ad diem presentem, ad comparandum, respondendum, & allegandum causam, &c. prout in dicta citatione continetur. Et ob hoc eorumdem Ioannis receptatorum & sequacium, siue adherentium non comparentium, neque aliquas causas rationabiles allegantium, cur recessus dicti domini Ioannis papae clandestinus pronuntiari non debeat fuisse & esse ecclesie sanctae Dei damnosus, scandalosus & opprobriosus, ac unionis & pacis ecclesie perturbatiuus & nociuus, ac nefandissimi schismatis nutritiuus & roboratiuus, haeresisque & suspicionis fidei sensitiuus, ac a bono unionis & pacis ecclesie praefatae promissionibus, iuramentis & votis per dominum Ioannem papam super hoc factis deniatiuus. Nec non allegantium causas, quare testes super notorietate criminum in citatorio expressorum recipi non debeant, & deinde notoria pronuntiari, & super eisdem tanquam super notoriis criminibus procedi. Et cur ipse dominus Ioannes papa vigesimus tertius non debeat suspendi a totali administratione papatus, propter notoriam, malam vel scandalosam administrationem & dilapidationem. Ipsosque dominum Ioannem papam, suos complices & sequaces, primitus tamen diligenter per reuerendissimos patres dominos ex dominis sanctae Romanae ecclesie cardinalibus, & quatuor praefatos quatuor nationum, diligenter ante valuas huius maioris ecclesie Constantiensis praenotatos, si non comparuerint neque reperiantur, petimus contumaces reputari, & in eorum contumaciam supradicta omnia & singula per hanc sanctam Synodum secundum formam citatorii pronuntiari, declarari & decerni, dictum recessum suum fuisse & esse sanctae ecclesie Dei scandalosum & opprobriosum, &c. Nec non crimina in ipso citatorio expressa, fuisse & esse notoria, & super eis tanquam super notoriis procedendum fore, & procedi debere declarari, dictumque dominum Ioannem papam a totali administratione papatus tam spiritualium, quam temporalium, propter praemissa lite pendente, suspendendum fore & suspendi debere: ipsumque super praedictis criminibus fuisse & esse notorie irretitum, &

Concil. Tom. 29.

Q9 ij

penitus incorrigibilem, aliasque procedi, decerni & declarari, prout iuris fuerit & ordo dictauerit rationis.

Item petimus similiter ex benignissimo officio, quod humiliter pro tota vniuersali ecclesia & cuncto populo Christiano imploramus, per hoc sacrum Concilium & hanc sanctam vniuersalem Synodum aliquos ex dominis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus antedictis, & aliquos alios etiam prælatos dari & deputari commissarios, coram quibus testes in hac causa produci valeant, quique iuramenta eorundem recipiant, ipsosque examinent diligenter, & huic sacro Concilio processum huiusmodi habitum & habendum referant, aliaque faciant, quæ circa præmissa necessaria fuerint & quomodolibet opportuna. Præmissa omnia & singula cum debita petimus instantia instantius & instantissime fieri, decerni & adimpleri, saluo iure addendi, minuendi & mutandi, declarandi &c. ut est styli iuris atque moris.

Quibus factis, reuerendissimus pater dominus Franciscus cardinalis Florentinus surrexit, proponens quod dominus Ioannes papa vigesimus tertius prædictus misit dominis cardinalibus vnam bullam, in qua constituit procuratores suos ad hanc Synodum, ad defendendum & agendum nomine sui super sibi impositis & imponendis per dictam Synodum, videlicet reuerendissimos patres, dominum Petrum Cameracensem, Guillelmum sancti Marci, presbyteros, & ipsum Franciscum Florentinum diaconum cardinalem, licet sui collegæ ipsi non venerunt ad concordiam, an vellet acceptare onus procuratoris; licet ipse similiter misisset vnum breue, exhortando eos, quod acceptarent pro eo onus procuratoris: tamen iuxta id quod sibi visum fuerat, non possunt bene transire, quin deberent acceptare. Sed exnunc dixit, quantum in eo erat, pro ista vice nollet acceptare onus procuratoris, persuasissetque sibi alias, quando fuerat secum, quod reuerteretur & faceret illa quæ promiserat. Dominus vero Guillelmus sancti Marci leuans se, dixit quod illam materiam ignorasset penitus, & nunquam venisset ad notitiam eius, nisi hodie mane.

Sed quidquid esset, ipse non esset dispositus ad acceptandum onus pro papa, neque pro aliquo alio, renuntians ipse omni acceptationi exnunc penitus & omnino. Exnunc tamen approbans persuasionem quam dominus Florentinus dixit fecisse papæ, qualiter reuerteretur ad Concilium, & impleret ea quæ vouisset & iurasset. Quibus sic propositis per dictos dominos Franciscum Florentinum & Guillelmum sancti Marci cardinales, statim sur-

ANNO CHRISTI 1415.
 rexit magister Henricus de Piro una cum magistro Ioanne de Scribanis, ipsoque Henrico loquente dixerunt, quod citatio esset personalis, & causa criminalis, in qua nullus admitteretur per procuratorem; protestando ibidem, ex quo Ioannes papa XXIII. constituit procuratores suos ad hanc causam, quod manifestum & notorium esset, quod citatio venit ad eius notitiam, & sufficienter deuoluta. Subsequenter pro meliori expeditione huius negotii sunt rogati per Concilium duo cardinales diaconi & quinque praelati nomine Concilii, ad eundem ad portas siue valuas ecclesie presentis, ad inquirendum, si Ioannes papa XXIII. foret ibidem, ipsumque requirendo & suos sequaces, receptatores & fautores, ut comparere deberent coram sancta Synodo Constantiensi, responsuri super contentis in citatorio contra eos emisso. Cardinalibus vero recusantibus, licet petitis & expectatis, accesserunt ad portas ecclesie reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus nationis Gallicane, Nicolaus Gneznenis archiepiscopus nationis Germanice, Antonius archiepiscopus Ragusinus nationis Italice, & Nicolaus episcopus Bathoniensis nationis Anglicane, Stephanus episcopus Dolensis nationis Gallicane, cum reuerendis patribus Benedicto preposito Albæ Regalis, protonotario nationis Germanice, & Jacobo Rhodini nationis Italice, & quinque notariis siue tabellionibus quatuor nationum. Quorum quilibet unus post alium in dictis & extra valuis tribus vicibus vocarunt Ioannem papam XXIII. & suos sequaces alta & intelligibili ac clamorosa voce, videlicet in hunc modum: Auctoritate sanctæ Synodi Constantiensis requirimus Joannem papam vigesimum tertium citatum & suos sequaces & fautores: si sint hic, veniant coram dicta sancta Synodo, responsuri super contentis in citatorio. Quibus inquisitionibus & requisitionibus factis successiue, nullus comparuit, neque respondit. Reuersi ad ecclesiam & ad dictam Synodum, fecerunt relationem. Primo dominus Ioannes patriarcha, & deinde dominus Benedictus prepositus protonotarius, nomine notariorum, qualiter inquisierunt dictum Ioannem papam & eius sequaces ac fautores iuxta formam iuris eis traditam; & nullus comparuit, neque comparebat pro eis; quod attestarentur coram Deo & dicta sancta Synodo Constantiensi. Super quibus successiue dictis, petitis, relatis atque iniunctis, idem magister Henricus de Piro promotor una cum dicto Joanne de Scribanis, petiuerunt sibi per notarium sedis apostolicæ & alios tabelliones & notarios Synodi, unum & plura confici, publicum & publica, instrumentum & instrumenta.

Præsentibus ibidem illustribus principibus dominis Ludouico duce Bauariæ, Rompoldo duce Zaganensi in Silesia, Ioanne Iacobo comite Aquesanensi filio comitis Montisferrati, Ioanne comite de Friburg, Ioanne Carolo de vicecomitibus de Mediolano, Philippo de Florentia, Nicolao de Gara magno comite de Hungaria, & alia Christianorum multitudine copiosa.

ANNO
CHRISTI
1415

Quibus sic peractis, dominus Andreas electus Poznaniensis de mandato dictæ Synodi ascendebat in locum in quo publicabantur edicta Concilii, & legebat ibidem certam schedulam alias in nationibus conclusam pro officialibus Concilii; & cetera. Cuius tenor sequitur inferius. Nec non literam missam per vniuersitatem studii Parisiensis, cuius similiter tenor sequitur inferius. Quibus lectis, Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis, Henrico loquente, petierunt a tota Synodo, an placeret; adiicientes, si aliquis esset cui non placeret, iuxta auctoritatem & facultatem Concilii, posset libere surgere & dicere id quod sibi placeret. Et sic de omnibus aliis fuit responsum per dominum præsentem & omnes alios, Placet, nemine discrepante.

Tenores vero executionis citationis in valuis ecclesiæ & portis ciuitatis Constantiensis factæ, nec non schedulæ deputationum officialium, ac literæ missiue vniuersitatis studii Parisiensis, de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii
& Spiritus sancti. Amen.*

L. 11. 21.

Qua quidem Missa cantata, legebantur litanix & alia more aliarum sessionum, cum euangelio, *Erunt signa in sole & luna*, &c. Deinde vero dominus Andreas electus Poznaniensis legebat quasdam conclusiones & literas, quarum tenores sequuntur, & sunt tales.

Sacrosancta Constantiensis Synodus ecclesiam catholicam representans, in Spiritu sancto legitime congregata.

Auditis & intellectis propositis & petitis per procuratores huius sacri Concilii generalis contra dominum Ioannem papam X X I I I. intendentes in hac causa cum maturitate & mansuetudine & caritate in Spiritu sancto procedere, præfatum dominum Ioannem, quoad præmissa con-

ANNO
CHRISTI
1435.

tra eum proposita & petita, vsque ad diem crastinum hora qua celebrabitur sessio, de solita benignitate expectandum decernit, & super iam propositis seu petitis pro parte eius fore respondendum.

Concilium dat commissarios in causa inquisitionis contra Joannem papam vigesimumtertium.

Item dicta sancta Synodus deputat & constituit supra propositos contra dictum dominum Ioannem papam vigesimumtertium commissarios reuerendissimos dominos cardinales de Vrsinis & tituli sancti Marci, nec non reuerendos patres dominos episcopos Concordiensem & Taruisinum, ac Ioannem de Bononia sacri palatii apostolici causarum auditorem, nationis Italicæ: & episcopum Dolensem, & abbatem sancti Lupi, nec non Guillelmum Malignis dicti palatii auditorem, nationis Gallicanæ: & episcopum Mersburgensem, & Andream electum Poznaniensem, & Bertholdum de Vuildungen eiusdem palatii auditorem, nationis Germanicæ: episcopum Lichfeldensem, & abbatem beatae Mariæ extra muros Eboraci, nationis Anglicanæ: quibus dat potestatem super prædictis testes recipiendi, citandi & compellendi, ipsosque examinandi secundum petitionem prædictorum promotorum, prout natura causæ requirit; ita quod quilibet ipsorum tres possint prædicta inchoare, perficere & finire, & super notorietate & scandalizatione & incorrigibilitate dictorum criminum plenariam relationem facere, & ad finem procedendi contra dictum papam, vt iuris fuerit & rationis.

Concilium deputat suos iudices.

Item dicta sancta Synodus constituit & deputat in iudices seu commissarios ad audiendum omnes causas, ad dictam sanctam Synodum per appellationem seu querelam deductas, deuolutas, seu deducendas & deuoluentas, reuerendissimos patres Matthæum episcopum Pistoriensem nationis Italicæ, Ioannem episcopum Vaurensem nationis Gallicanæ, Nicolaum episcopum Plocensem nationis Germanicæ, & Robertum episcopum Saresburiensem nationis Anglicanæ; quibus dat potestatem in

prædictis citandi in curia & extra eam, & alia faciendi quæ ad dictas causas pertinent & pertinebunt, vsque ad sententiam diffinitiuam exclusiue.

ANNO
CHRISTI
1415

Concilium deputat sessionarios.

Item dicta sancta Synodus constituit & deputat in sessionarios pro ordinando dominos prælatos, ambasiatores & ceteros in sessionibus Concilii, prout fieri solitum est; videlicet de natione Gallicana antiquos nominatos, & de natione Italica dominum Ioannem de sancto Seuerino, & pro natione Germanica magistrum Euerhardum Lupi.

Item supplicetur per legentem prædicta serenissimæ regis maiestati, quod loco domini comitis Bertholdi propter eius absentiam, provideat de vno alio ad suum officium sufficiente.

In nomine Domini. Amen.

Anno a natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo decimo quinto, indictione octaua, die quarta mensis Maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Ioannis diuina prouidentia papæ vigesimitertii anno quinto, in mei notarii publici & testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, venerabilis vir dominus Nicolaus de Hubancho, literarum apostolicarum scriptor, & pro tunc audientia publica literarum contradictarum domini nostri papæ lector in ecclesia sancti Stephani Constantiensi, pro audientia causarum apostolica specialiter deputata, mane hora consueta quasdam literas citatorias personales a sacrosancta Synodo Constantiensi generale Concilium faciente, & ecclesiam catholicam repræsentante, in Spiritu sancto legitime congregata, ad instantiam venerabilium virorum magistrorum Henrici de Piro licentiati in decretis, & Ioannis de Scribanis de Placentia, causarum & negotiorum dicti Concilii promotorum & procuratorum, contra præfatum dominum Ioannem papam & eius fautores, receptatores & eius sequaces emanatas, & propriis sigillis præsidentium quatuor nationum huiusmodi Concilii munitas & sigillatas, nec non per prouidos viros magistros, Ioannem Guiardi pro Gallicana natione, Bartholomæum de Guastis pro Italica, Gifelerum Bouencen pro Germanica, & Ioannem Raynaldi pro Anglicana, nationibus, in prædicto sacro generali Concilio Constantiensi notarios subscriptas & sigillatas, quarum tenor sic incipit: Sacrosancta Constantiensis Synodus, &c.

Et

ANNO
CHRISTI
1445.

Et sic finit : Datum Constantiæ provincie Moguntinensis, &c. alta & intelligibili voce legit & publicavit ad præfatorum magistrum Henrici de Piro & Ioannis de Scribanis promotorum & procuratorum nomine quo supra, instantiam, qui sibi de publicatione & lectura huiusmodi per me notarium publicum infra scriptum, unum vel plura, publicum seu publica fieri petierunt instrumentum seu instrumenta. Præsentibus ibidem venerabilibus & discretis viris magistris Michaelē de * Bolefanis licentiatō in decretis, Joanne de Scribanis in Romana curia procuratore, Conrado Baldeuin, Henrico Hutematels, Joanne Brunichusen, Robino Colini, in dicta audientia procuratoribus, & Giselero de Bouencen, sacri palatii apostolici causarum notariis, & quampluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Paulo post ego Fridericus notarius infra scriptus dictas literas citatorias ad valuas dictæ ecclesiæ sancti Stephani pro audientia causarum apostolica specialiter deputatæ affixi, & extensas per tempus dimisi, rogatus & requisitus per dictos magistros Henricum de Piro & Ioannem de Scribanis promotores & procuratores nomine quo supra, ut de huiusmodi affixione publicum conficerem instrumentum. Præsentibus ibidem discretis viris magistris Nicolao Vourt, Henrico Herbordi, Joanne Christiani & Joanne Carpentarii in prædicta audientia procuratoribus, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Deinde vero hora Tertiarum dictæ diei, vel quasi, ego Fridericus notarius infra scriptus prædictas literas citatorias de prædictis valuis remouit, & statim postea ad valuas ecclesiæ cathedralis Constantiensis affixi, & extensas ibidem dimisi per horam & ultra, rogatus & requisitus, ut de huiusmodi remotione & affixione publicum conficerem instrumentum. Præsentibus ibidem discretis viris magistris Nicolao de Hubancho lectore prædicto, Arnolde Vorthem, Theodorico de Horsten, literarum apostolicarum scriptoribus, & Joanne Stade de Lothem, sacri palatii apostolici causarum notariis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Ex post vero hora quasi undecima dictæ diei, ego Fridericus notarius infra scriptus prædictas literas citatorias de prædictis valuis remouit, & deinde in continenti ad valuas palatii apostolici, siue domus episcopalis Constantiensis, ubi dictus dominus noster papa, dum in præsentī ciuitate Constantiensī erat, habitabat & habitare solebat, affixi, & extensas per tempus dimisi. Et deinde hora Nonarum, vel quasi, easdem literas citatorias de proxime dictis valuis remouit, & mecum portauit, rogatus & requisitus

Concil. Tom. 29.

Rr

a sæpe dictis promotoribus & procuratoribus, ut de huiusmodi affixione & remotione publicum conficerem instrumentum. Præsentibus ibidem honorabilibus viris magistro Theodorico de Horsten, Gosuino Muel, literarum apostolicarum scriptoribus, Hermanno Coppardi canonico ecclesiæ sancti Cassii Bonnensis, Coloniensis diœcesis, Henrico ten Gangenhau de Reys, Ioanne Vualkingen, & Stephano Pilosi, sacri palatii causarum apostolici notariis, & Ricoldo von der Samitter, clericis Coloniensis, Monasteriensis, Rutimensis & Leodiensis diœcesum, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et ego Fridericus de Arnhem clericus Coloniensis diœcesis, publicus apostolica & imperiali auctoritatibus notarius, ac dictæ audientiæ publicæ literarum contradictarum domini nostri papæ scriba, quia prædictis lecturæ, publicationibus, affixionibus & remotionibus una cum prænominatis testibus præsens interfui, &c.

ANNO
CHRISTI
1411.

In nomine Domini. Amen.

Anno a natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo decimo quinto, indictione octaua, die vero Sabbati, quarta mensis Maii, pontificatus domini Ioannis papæ vigesimi tertii anno quinto, paulo post horam Nonarum, Ego Giselerus notarius publicus infrascriptus, in testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia certas literas citatorias personales, a sacrosancta Synodo Constantiensi generale Concilium faciente, & ecclesiam catholicam repræsentante, in Spiritu sancto legitime congregata, ad instantiam & petitionem venerabilium virorum magistrorum Henrici de Piro licentiati in decretis, & Ioannis de Scribanis de Placentia, causarum & negotiorum dicti Concilii promotorum & procuratorum contra præfatum dominum Joannem papam vigesimum tertium & eius fautores, receptatores & sequaces emanatas, & sigillis præsidentium quatuor nationum huius Concilii munitas & sigillatas, ac etiam per quatuor earumdem nationum in prædicto sacro generali Concilio notarios subscriptas & signatas. Quarum quidem literarum citatoriarum tenor sic incipit: Sacrosancta Constantiensis Synodus, &c. Et sic finitur: Datum Constantiæ prouinciæ Moguntinensis, in sessione publica, in ecclesia maiori solenniter celebrata die Iouis secunda mensis Maii, indictione octaua, anno Domini, &c. Ad instantiam & requisitionem præfatorum magistrorum, Henrici de Piro & Ioannis de Scribanis, promotorum & procuratorum, nomine

ANNO CHRISTI 1415
 quo supra, valuis seu portis ciuitatis Constantiensis, Guitport vulgariter nuncupatis, una cum earumdem vera copia affixi, & ibidem affixas & extensas dimisi.

Deinde vero hora prima post meridiem eiusdem diei, ipsas literas citatorias originales, copiis earumdem per me affixis ibidem dimissis, a dictis valuis seu portis amoui & mecum portauit, rogatus & requisitus a supradictis magistris Henrico de Piro & Ioanne de Scribanis promotoribus & procuratoribus nomine quo supra, ut de affixione & amotione huiusmodi ipsis unum vel plura, publicum seu publica conficerem instrumentum seu instrumenta. Presentibus ibidem discretis viris magistris, Gumperto Fabri, & Petro Bannin de Desteruuiel, sacri palatii apostolici causarum notariis, clericis Moguntinensis & Leodiensis diocesum, testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis. Paulo vero post premissa, ego Giselerus notarius infrascriptus una cum predictis literis citatoriis ad dictam ciuitatis Constantiensis valuis seu portas, *Rumphartorum vulgariter nuncupatas, accessi, & eisdem valuis seu portis easdem literas citatorias una cum earumdem vera copia affixi, & ibidem ipsas affixas & extensas dimisi. Demum vero ipsas citatorias originales literas post horam Vesperarum eiusdem diei supradictae, copia earumdem ibidem per me affixa, etiam in proxime dictis portis dimissa, remoui & mecum deportauit, rogatus & requisitus a supradictis magistris Henrico de Piro & Ioanne de Scribanis, promotoribus & procuratoribus nomine quo supra, ut ipsis de huiusmodi affixionibus & amotionibus unum vel plura, publicum seu publica conficerem instrumentum seu instrumenta. Presentibus ibidem honorabilibus & discretis viris magistris Clemente de Cumis, & Bassiano de Putalactis de Lauda, literarum apostolicarum scriptoribus, & Ioanne Guiardi in dicto sacro Concilio pro natione Gallicana notario, clerico Pictaunensis diocesis, testibus ad premissa vocatis & rogatis. Et ego Giselerus de Bouencen clericus Moguntinensis diocesis, apostolica & imperiali auctoritatibus notarius, & in sacro Constantiensi generali Concilio supradicto pro natione Germanica notarius, predictas literas citatorias per edictum & personales supradictis valuis & portis affixi, & ut premititur, amoui: de quibus affixione & amotione praesens publicum instrumentum manu mea propria subscriptum confeci, subscripsi & publicauit, signoque & nomine meis solitis & consuetis signauit, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum premissorum.

Concil. Tom. 29.

Rr ij

Egregiis inclytisque patribus, viris ex omni gente dilectis,
in salutifero Constantiensi Concilio vniuersalem
ecclesiam repræsentantibus.

ANNO
CHRISTII
1431.

Egregii inclytique patres, viri ex omni gente dilecti, aliumque
& salutiferum Concilium: Si labori, si grauibus operibus per di-
uersas vias pacem ecclesiæ quæsiuistis, non corpori, non mundanis
parcentes diuitiis, sed thesaurizantes in cælo, iam constantius per-
sistendum, iam ambulandum cautius, iam opus est incumbere ma-
gis, cum turbidus Auster primum dulce spirantes Zephyros a Petri
nauicula aliquantisper repulit. Sed remis agendum, ut ad tranquil-
litatis portum ducatur incolumis. Iam in vobis spes catholici popu-
li constituta est, vos columnas ecclesiæ firmas vniuersi laudant &
venerantur, & pacem orantes populi manus ad sidera tendunt.
Nam adauicta est eo fiducia per vestram perseuerantiam, postquam
domini nostri papæ discessum agnouerint. Quamquam discessum æ-
gre feramus, multumque spes præcedens passa est detrimentum, ut
nuper scripto vobis notum fecisse putamus. Nunc igitur felix vestris
laboribus sit ecclesia, fortunatique populi, quos inuisum schisma
tanta per tempora conturbauit. non enim tantus cætus in vacuum
erat conuocandus. Sed ut fructus labores sequatur assiduus, non di-
spersantur oues gregis propter pastoris absentiam, sed occasio sit hæc
in centuplo maioris unitatis: quoniam communia * nostrum om-
nium vota, & vniuersæ fidelium mentes sequentur, vestra delibe-
rata pro firmis veritatibus sustinebunt, vobis in cunctis innitentes,
ut fidei * debita irrefragabiliter obligentur. & nos ipsi de vestra
constantia gaudemus in Domino, vobis obedire, obsequi, reuereri, atque
semper assentire parati, teste Domino, qui vestros labores in consum-
mata pacis quietem dirigat, & in viam salutis æternæ.

* f. v. g. h. i.

* al. d. i. n. o.

Datum Parisiis in nostra congregatione generali, apud sanctum
Martinum super hoc specialiter congregata * decimoquarto die
mensis Aprilis.

* d. i. c. i. n. o.
t. e. r. t. i. a.

Vestrarum paternitatum egregiarum zelantissimi deuoti
imitatores, rector & vniuersitas studii
Parisiensis.

Eadem die qua supra, videlicet decimatertia mensis Maii post
meridiem fuit congregatio nationis Germanicæ. In qua primo fue-
runt deputati per scrutinium pro parte eiusdem nationis quinque
venerabiles viri domini Hermannus * Duergb, sedis apostolicæ pro-

* d. u. e. r. g. b.

ANNO CHRISTI 1415. tonotarius, Bertholdus de Vuildungen sacri palatii apostolici causarum auditor, Ioannes Abundi decretorum doctor, Petrus de Tygerlicentiatus in decretis, & Henricus de Piro licentiatus in decretis, ad ordinandum positiones & articulos, in causa inquisitionis depositionis Ioannis papæ vigesimitertii per Synodum Constantiensem offerendos.

Subsequenter venit ibidem dominus Romanorum rex cum deputatis aliarum trium nationum, presentans unam copiam cuiusdam bullæ datæ Carolo de Malatestis de Arimino. In qua Angelus de Corario, Gregorius duodecimus in sua obedientia nuncupatus, dedit licentiam ipsi Carolo & suis de eius obedientia, ad consentiendum huic Concilio: iniungens idem dominus rex dominis deputatis, quod examinarent illam copiam: & si foret defectuosa vel insufficientis, vellet eam remittere Carolo, qui statim disponere deberet, quod omnia sufficienter emendarentur ad voluntatem Concilii.

Prædictis lectis & publicatis, promotores petierunt ab ipsa Synodo, si placerent: adiicientes, si aliquis esset cui non placeret, iuxta auctoritatem & facultatem Concilii posset surgere, & dicere id quod sibi placeret. Et sic fuit ab omnibus responsum per dominum præsentem & omnes alios, Placet, nemine discrepante.

SESSIO X.

Die Martis decimaquarta mensis Maii supradicti, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi supradicta, in qua reuerendus pater dominus Bertrandus episcopus sancti Flori, ambasiator regis Cypri, cantauit officium Missæ de sancta Trinitate. Et præsidebat in eadem sessione reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis, rege Romanorum ibidem præsentem in insigniis regalibus cum suis nobilibus. Litanis autem & aliis in sessionibus legi consuetis, lectis & peractis, reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus legebat decretum suspensionis papæ, cuius tenor sequitur in hunc modum:

Et reuerendissimi patres domini Angelus Laudensis, & Iordanus de Vrsinis, cardinales, assistebant regi Romanorum ibidem præsentem in insigniis regalibus cum suis nobilibus. Præsentibus ibidem Branda Placentino, Francisco Venetiarum,

R r iij